

Q. K. 357, 6.

57 (X 1904275)

II u
844

ARCHIATRO SUMMO BENEDICENTE!
JUSSU ET AVTORITATE ILL
STRIS AC GRATIOSISSIMI SENATUS ASCLE
PIADEI IN FLORENTISSIMO, QVOD
EST AD SALAM, LYCEO,

SUB PRÆSIDIO

RVDOLFI VVILHELMI
CRAVSII,

Philos. ac Medicinæ Doctoris, prax. &
chim. P. P. celeberrimi, Facultatis Medicæ Senioris, &
S. R. I. Acad. Nat. Curios. Collegæ primarii,
DN. PRÆCEPTORIS, PROMOTORIS, PATRONI
eternum devenerandi,

DISPUTATIONEM INAUGVRALEM,

De

MORBIS SPIRITVVM

in genere,

PRO LICENTIA

Summos in arte medicâ honores, insignia ac privilegia Do-
ctoralia, MORE MAJORUM solenni ac legitimo
capessendi,

publico philiatrorum examini proponit

GEORGIVS DAVID WALTHER,

HALA SVEVVS,

A. D. Januar. M. DC. LXXXIIX.

IN AUDITORIO MAJORI,
Horis ante & pomeridianis.

LITERIS KREBSIANIS.



RECHARTRO SUMMO IN MEDICINA
1788 ET AVTOSTATUM
STRE AC OGNATIONE
SIAGI ONTODI
DI AD SANA TICO

RVD O L I B I V I T H E I M I
G R A V S I I

I Philo & Medicinis Doctoris, Praef. &
A. R. J. A. d. N. d. M. d. C. C. L. X. X. I. I.
D. N. P. R. O. F. E. S. S. O. R. I. S. P. R. O. M. O. T. O. R. I. S. P. R. O. M. O. T. O. R. I. S. P. R. O. M. O. T. O. R. I. S.

D I S P U T A T I O N E M I N A E T H I C A M
M O R B I S S P I R I T U V M

F R O L I O C E N N I A
D I S P U T A T I O N E M I N A E T H I C A M
M O R B I S S P I R I T U V M

G E O R G I V S D A V I D W A L T H E R I
M. D. C. C. L. X. X. I. I.





I. N. I.
P R Æ F A T I O.

Inter alias in Scholis Medicis hodiernum & pridie excitatas controversias, haud forsan minimæ statuendæ, quæ de doctrina spirituum à viris doctis agitatae sunt, & adhuc agitantur. Licet enim multi veterum, inprimis Galenicorum, plurimique modernorum, eorundem existentiam, tametsi interdum sub alio tegmine approbent; inveniuntur tamen aliqui, qui eos repudiant; alii, qui de ipforum natura, numero, modo agendi & morbis, quàm maxime dissentiunt; adeò, ut non possit non dubio, atque ancipiti ad laborem adcedere animo, qui materiam tot tricus involutam dissertatione publicâ evolvere aggreditur; Siquidem vix est, quod felicem, in ejusmodi labyrintho sibi promittere possit progressum.

Ne autem mireris, benevole Lector, quod ego manus huic operi (quod feliciores, confirmatioresque deponere, ipse largior,) admoverim, Te nosse velim, me non proprio & temerario ausu, verùm jussu Viri cujusdam excellentissimi, patroni mei colendissimi, atque sic magis observantiâ, quam præfidentiâ virium compulsus, humeris meis tantum onus imponi passum esse. Delibavi autem, ne ob amplitudinem & ubertatem materiæ dissertationis limites transgrederer, ea saltem, quæ MORBOS SPIRITIVVM IN GENERE concernunt: eosque eâ declaravi methodo, ut primò considerationem spirituum *Physiologicam*, non quidem eam, quæ controversias in hoc genere excitatas terminet, verùm, quæ brevissimâ status naturalis expositione, (quâ sine præternaturalis minimè cognoscitur

tur,) tanquam basis, secuturum discursum sustineat, præ-
miserim. Eam, ceu primam operis partem, *Pathologica*;
hancque tertia, *Therapeutica* nimirum excipit.

Si cuiquam hinc inde minus accuratè differuisse, aut
conjectasse videbor, quæso in hâc magnâ ac difficili re co-
natum perpendat, meque quotidie discendi cupidum, pro
sua humanitate excusare dignetur.

Interim DEVS T. O. M. conatibus meis benignis-
simè faveat.

SECTIO I.

PHYSIOLOGICA.

VT brevitati studeamus propositæ, non multum de *ono-*
matologia, homonymia & synonymia solliciti erimus, cum
cuilibet titulum inspicienti pateat, hoc loco per SPI-
RITUS non intelligi flatus, vel ventos, quibus aliàs
πνεῦμα, spirare (unde nomen spiritus) propriè naturale est;
neque chymicorum spiritus ad Vulcani aras effumantes; multò
minus substantias illas immateriales, DEVM, angelos & ani-
mam rationalem: Verùm, subtilissimas illas corporis nostri par-
ticulas, quæ ob tenuitatem, raritatem, fluiditatem, levitatem,
summamque mobilitatem & activitatem, verbò, ætheream
naturam, propter quas circumstantias nec visu, multò minus
tactu apprehendi possunt, medicis spiritus dicuntur: perinde
ac chymici alcohol liquidum, hoc est, liquores summè rectifi-
catos, & reiteratis destillationibus adeò volatiles ac pene-
trantes redditos, ut, nisi vasa probè muniantur, in auras
velocissimè exhalent, spiritus appellare consueverunt.

Reliqua criticis relinquimus, & sine ulterioribus amba-
gibus ad rem ipsam nos accingimus, circa quam consideran-
da spirituum:

I. EXISTENTIA.

Hanc, omissis autoritatibus, sic stabilire contendimus.
Nimirùm certo certius est *omne corpus, quod movetur, ab alio mo-*
veri, adeoq; principium aliquod movens requiri. Hoc ab auto-
ribus,

ribus, qui homini *unam & simplicem* animam inesse volunt, communiter statuitur *anima rationalis*, & prout anima ab operationibus & effectis, ex *Aristotelis* mente, definitur, dicitur *id esse, quo vivimus, sentimus, movemur & intelligimus* primò.

Quamquam autem hanc *movendi potentiam in homine* animæ rationali certo modo, & si medicè loqui velimus, ita concedere possemus, ut actiones in corpore quasdam exercent, videlicet immateriales & inorganicas, quæ nimirum ab *intellectu & voluntate* proficiscuntur; attamen de reliquis, nempe materialibus & organicis, quæ nobis cum brutis communes existunt, res adhuc nimium videtur dubia. Cum enim *anima rationalis* ab autoribus inorganica dicta, non sit *materialis*, & materiæ ingenita, aut immerfa; sed *immaterialis*, hoc est, non alligata materiæ, sed à *materiâ abstracta & libera*, idque non solum quâ esse & fieri, sed etiam quâ operari, id est, ad *actiones suas neque utatur, neque indigeat organis, imò nihil communicet, seu habeat commune cum actionibus corporeis*, ceu philosophi hanc rem explicant; propterea necessariò sequeretur e.g. apprehendere, ire & incedere posse etiam eum optimè, cui apprehensoria organa, manus & pedes, amputata sunt; nempe, quia in eo anima rationalis, utpotè *ἀπαθής*, illæsa adhuc est, atque salva, nec organis utitur, nec indiget; Ast cur quæso hoc non fit? aut, si non mutilati, cur saltem paralytici, claudii, contracti, cataractâ laborantes, & hujus generis plures morbofi, non ambulant, vident, aliasque actiones consuetas perficiunt? siquidem anima rationalis inorganica, in illis integra adhuc est, & illæsa; vult etiam movere (cei videmus in paralyticis) membra, & reliquas operationes perficere, sed non potest; unde profectò manifestò constat, aliquid aliud in corpore requiri, & adesse, quo mediante anima movet corpus, id, quod materiale quid est, & existentiam spirituum liquidò testatur. Imò, si anima motus & actiones naturales omnes sine organis perficere posset, ad quid quæso, tantus apparatus diversimode, affabrè & mechanicè conformatarum partium in corpore prodesset? Videtur certè exinde necessariò colligendum esse, animam inorganicam & immaterialem,

21731088

A 3

id



id est, animam rationalem, actiones organicas, utpote materiales, peragere haud posse; sed materiales, & immateriales operationes ab homine procedentes, non unam simplicem, verum diversas plane formas arguere, atque sic praeter animam immaterialem, etiam aliam materialem & organicam requiri, concedendam, & statuendam esse.

Directionem quidem, seu imperium aliquod animae rationali in illud, quod materiales actiones perficit, concedendum esse, & nos concedimus; verum, quò minus vera efficiens causa motuum animalium dici possit, superius dicta obstare videntur; dirigitque, ceu egregio simili id illustrat *excellentissimus Bobnius in Circulo anatomico physiolog. progymn. 4. de princip. vitali p. 45.* anima rationalis motus spontaneos pari forsitan ratione, ac horologii, seu machinae hydraulicae impetus atque tendentias variis occasionibus sufflaminare, accelerare, aut quocunque modo immutare licet.

Obstare porrò unitati & simplicitati animae in homine hoc videtur, quod quotidie experiamur, actiones in corpore varias, tum vitales, tum naturales, aliasque non minus rectè perfici, licet mens nostra alibi, & in suis immaterialibus actionibus occupata distineatur; id enim indicio est, motus adeò diversos, necessariò etiam à diversis dirigi moventibus.

Ulterius haut quoque levis momenti illud est, quod in brutis iidem motus vitales & animales visantur, quibus tamen nemo sanæ mentis animam immaterialem adscribet. Ergo aliud quid erit, quocunque demum nomine id veniat, à quo tanquam ab interno principio, ac formâ informante & actuante motus tum brutorum, tum hi, quos homo cum brutis communes habet, oriuntur, & actiones materiales perficiuntur.

Equidem novimus, acutiore quosdam phisicos, pensitatis his, à nobis adductis, aliisque gravibus & multis rationibus, malle animae simplicitatem negare, contra verò animam *complexum quoddam esse ex diversis potentiis, videlicet materialibus & immaterialibus* adserere; Verum, etiamsi hoc verosimilius videretur, tamen illud inde emergit dubium, quomodo *animae rationali, tanquam formae immateriali* attribui possint *potentie materia-*

materiales, quæ potius è materiæ, quàm formæ immaterialis
 potentiâ educendæ; sive, ut physici hoc explicant, *quæ neces-*
sariò in materiâ fiunt, sunt & operantur, ad extensionem mate-
 riæ extenduntur, atque, quia materiæ totæ sunt ingenitæ, &
ἀχωριστῆ, ab eâ inseparabiles, divisibiles sunt, divisione quan-
 titatis in partes integrantes, ad divisionem corporis; quemad-
 modum videmus animæ partem abscindi cum ramulo arboris,
 & cum hoc alii cuidam arbori sylvestri inseri, insitam pro suâ,
 sibi competente ideâ, seu naturâ agere, hoc est, fructus dulces
 proferre, sylvestrem autem caudicem furculos protrudere,
 qui, nisi amputentur, sylvestres austeros proferunt fructus;
 vermen quoque dissectum diu adhuc moveri, currere &c. &
 vespæ partem posteriorem abscissam, aculeum suum, ad conta-
 ctum, in ultionem adhuc vibrare, atque sic sensationis motus
 manifestos adhuc de se prodere.

Sanè, ut hæc omnia in homine, præter animam rationa-
 lem, aut aliam quandam peculiarem, & materialem quidem
 animam (rationali tamen subordinatam) arguunt, aut animam
 rationalem vel planè materialem, vel simul materialem & im-
 materialem esse inferunt; quod ultimum tamen nemo sanio-
 rum philosophorum hætenus adseruit; ita, si locus ullus su-
 pèresset precibus, haberentque vota, quò caderent, id ante
 omnia in præsentem optarem, ut accuratioribus physici, inprimis
 Aristotelici hæc de re suos candidiores conceptus cordatè luci
 exponerent, ne medicus in curâ illorum morborum, in quibus
 mens implicata deprehenditur, aut Antabatarum more cum
 talibus morbis pugnare, aut, illis invitis, ipse in physicis scruta-
 ri cogatur.

Interea ergò dum meliora precamur & speramus, hæte-
 nus dicta, plurimaque alia, quæ brevitatis amore omittimus,
 satis evincere nobis videntur, ad actiones corporis materiales
 perficiendas requiri in homine præter animam rationalem di-
 rectricem, principium quoddam activum ac movens materia-
 le, & cu idem summâ subtilitate, mobilitate, volatilitate & pe-
 netrabilitate præditum, quò, tanquam medio seu instrumen-
 to ani-

to anima rationalis ad actiones materiales perficiendas utatur, sine illo autem nihil materiale efficere possit. A desse quoque & existere tale quid materiale subtile, sensus nostros effugiens, & ab effectu saltim, sed satis manifesto, cognoscibile in corpore humano, ex ipsius tum naturali, tum praternaturali statu cognoscimus. Non solum enim motus & mutationes in puncto saliente, & hinc formato corpore humano; item pulsus cordis perpetuus, circuitus massæ sanguineæ, impetuosa proruptio sanguinis, in primis ex arteriâ sectâ, subitanei motus corporis ejusque partium in animi affectibus, & post conceptas in phantasiâ species, ab externis sensibus oblatas, aliaque plura; sed etiam cessans motus in paralyfi, depravatus in convulsione, vertiginè &c. & præter hæc epilepsia quoque, syncope, deliria, passio hysterica, ut & morbi, archeales dicti, id nobis persuadere fatagunt.

Quemadmodum verò hæ, respectu partium continentium & contentarum subtilissimæ & mobilissimæ in corpore humano partes, ab Hippocrate lib. 6. epidem. S. 8. t. 19. impetum facientes, ἐνορμῶν τὰ μέρη appellatur; ita nos, cum potiori medicorum selectu, illas vocamus spiritus, ob rationes hæcenus expositas.

An rectè ita vocentur, (siquidem, quod quidam negent dari spiritus in nostro corpore, aliud verò æquivalens substituunt, μακρολογία est frustranea, & lis non tam de re, quam de nomine,) an verò melius vocari possent principium vitale, aut archeus, calidum innatum, anima sensitiva, (in homine) item anima materialis &c. parum curamus, sed, ceu Galenus alicubi, dicimus, appelles tu, ut lubet, modò rei nihil mutes, etiam blituri & scindapsum.

Nos vero ulterius inquiremus, quid sint spiritus, unde generentur, & quem usum præstent, id quod nunc explicabit eorum

II. NATURA.

Hæc, in quantum ob summam spirituum subtilitatem, sensoria subterfugientem ratione assequi, & à posteriori, seu ab effectu, colligere licet, tali modo explicari posse putamus, scilicet,

cet,

5.
cet, quod sint pars corporis simplex, subtilissima, levissima, mobilis-
sima & penetrantissima, ex subtilissimis alimentorum & sanguinis
particulis cum aethereis junctis, constans, ad sensum, motum, calo-
rem vitalem & sanguinis edulcorationem summè necessaria.

Dicitur I. quod sint pars corporis. Reperiuntur quidem
nonnulli hoc negantes, quos inter etiam est *Isbrandus de Diemer-
bræk in anatom. lib. 1. p. 5.* solas continentes, seu solidas, veras
corporis partes esse, asserens, & paulò inferius spiritus expresse
è numero partium excludens. Verùm enim verò, inutilis est
hæc in medicâ physiologiâ ἀκρίβεια, sufficitque *Galenicam* de-
finitionem partis ipsis ex asse competere; sunt nempe spiritus
μάθειον τῶ σώματι συμπληρωτικόν; & si omne illud est pars
corporis viventis dicendum, quod ad ipsius integritatem fa-
cit, sive, quod totum complet & integrat; quid, quæso, majori
jure dici poterit complere corpus vivens, his ipsis spiritibus?
siquidem spiritus ad integritatem ejus usque adeò requirun-
tur, ut iis duntaxat præsentibus eò nomine veniat, absentibus
autem cadaver appelletur. Quod corpori non cohæreant, ni-
hil refert; quoniam alias nec arena, vel plumbum alcoholisa-
tum pars clepsydræ essent; quæ tamen nemo sanus partem ejus
necessariam esse inficias iverit, licet cum vitro non cohæreant.
Ut non adducam alias instantias, & quod anima rationalis cor-
pori mediantibus spiritibus cohæreat, unde etiam vinculum a-
nimæ cum corpore in physiologicis appellari consueverunt.
Propter quod verò unum quodque tale est, illud magis est tale.

Dicitur II. simplex. Hoc, ceu superius diximus, respectivè
intelligendum est, videlicet, non, quod sint spiritus metaphysi-
ci, aut ex materiâ & formâ non constent; sed, quod respectu re-
liquarum, quæ in corpore reperiuntur, partium, sint simplicissi-
mæ, & hinc sensus nostros effugiant.

Dicitur III. Pars subtilissima, levissima, mobilissima;
Nisi enim subtiles existerent, quomodo poros partium solida-
rum & nervorum minimos permeare? nisi leves, quî tam faci-
lè moveri? nisi mobiles & penetrantes, idque in excellenti gra-
du, essent, quo pacto actionibus tam subitaneis & momenta-
neis pares existerere possent?

Dici-

Dicitur. IV. ex subtilissimis alimentorum & sanguinis particulis constans, quia nimirum aliud materiale, ad spirituum generationem aptius, in corpore non datur. Quod autem alimentorum particulas ad generationem spirituum facere adferem, nemo miretur, cum videat alimenta spirituosissima vix ore hausta, e. g. vinum Rhenanum, malvaticum, aut aliud generosum, &c. citissimam virium restaurationem procurare; semper enim ex alimentis spirituosioribus sanguini & spiritibus aliquid accedit ante cibi in ventriculo & intestinis absolutam fermentationem, vel in ore, vel in oesophago, idque vel immediate se spiritibus adsociat, & simile simili nutrit, vel sanguini venoso se insinuans, per venas immediate statim ad cor deducitur, & in spiritus convertitur; unde quoque causa tam subitanæ refectionis, in iis, qui in ediam passi sunt, & vix oribus cibum ingesserunt, aliquo modo petenda est.

Sanguinem laudabilem, spirituosum, dulcem, atque blandum pabulum & nutrimentum præbere spiritibus, imprimis animalibus, inculcat celeberrimus Francis. Sylvius in operibus suis. Hinc uno læso, alterum necessario vim pati, ac in officio suo turbari quotidie observamus. Quomodo anima in sanguine fit, ceu in sacris dicitur, facile ex dictis concipi potest.

Volunt quidam, spiritus fieri perinde, ut spiritus chymicorum, fermentatione & circulatione, & Job. Mayow tract. de respir. & rachit. p. 26. eos à spiritu sanguinis destillato, & ad summum gradum rectificato non multum differre existimat. Verum, quamvis a liqualem analogiam, & quod spiritus ad humores referri possint, quin certo modo debeant, (sunt enim naturaliter liquidi & fluidi,) non negemus; longè tamen subtiliores sunt spiritus corporis viventis omni spiritu chymico, etiam summe alcoholisato; quia planè invisibiles sunt, & in naturali suo statu admodum parùm phlegmatis habent, secus ac spiritus destillati.

Cujus naturæ sint spiritus ratione substantiæ, merito hic inquirendum. Brevibus ut me expediam, dico eos esse naturæ sulphuræ salino-alcalicæ volatilis, sed, purioris, idque mihi inter alia hoc persuadet, quod videam spirituum defectum non melius & citius restitui posse, quam per spirituosos, aromaticos:

tica:

rica & analeptica, v. g. vinum Rhenanum, malvaticum, aquas & spiritus apoplecticos, cinamomi, balsamum embryonum, elix. vit. *Matthioli*, essentiam ambrae, taliaque plura. Et, in quantum conjicio, spirituum productio ordinaria, ita forsan procedit: particulae alimentorum sulphureae salino volatiles in digestionem, seu fermentationem extricatae, hinc in succum & sanguinem conversae, praeterea in variis locis à crassioribus compedibus liberatae, & à vegetabili acidula alimentorum natura (quae spiritui vitali adhæret) depuratae, continuo motu, circulatione & transcolatione, maximè in cerebro magis subtilisuntur, volatilifantur, accedente inprimis adjumento per inspirationem adtracti aëris in naturam spirituofam exaltantur, ut spiritus alcoholifatos æmulentur. Et huc reflectimus, quando in definitione

Dicitur V. eas cum aethereis particulis jungi. Constat nimirum ex physiologicis nobilissima aëris ad vitam conservandam necessitas, & vel sola antlia pneumatica id nos abundè docet; ejus quoque in volatilifando sanguine efficaciam satis probat *Helmontius*, tract. *Blas human.* Nec est, quem late-re amplius possit aëris, sese expandendi nisus, qui, *vis elastica*, sive elater dici solet; ut nihil dicam de *sale* aëri attributo, *mirabili*, quaecunque penetrante, resolvente & volatilifante, atque hinc *universale solvens* (it. *spiritus mundi, & occultus vite cibis*) dicto. Hisce ita praesuppositis, existimamus, aërem sanguinis chyloso & lymphæ, ex utraque cavâ in cor confluentibus, ac per minimas pulmonum vesiculas, à *Malpighio* demonstratas, exactiori miscelâ conquassatis, intimè permixtum, ea, ratione spiritus, seu balsami sui aetherei, elastici, sulphureo-salini elevare, attenuare, volatilifare, forsan etiam virtute astrali balsamicâ dotare, & sic cum particulis corporis subtilissimis junctum, id, quod nos spiritum appellamus constituere. Possemus hoc ex aëris mutatione, subitanèam in spiritibus, sanguine, & totius corporis temperie alterationem secum trahente, ulterius probare, & quomodo inde influxus astralis dependeat, faciè demonstrare, nisi ad pathologiam properandum esset. Pergimus ergò ad usum spirituum, quem

Dicimus *Vl.* esse *sensum, motum & calorem*. Quod (1.) *sensum* spectat. Dicitur quidem vulgò in medicis; *nullum fieri motum sine musculo & nervo; nullum sensum sine nervo & membrana*; sed hæc nobis non contrariantur, quia non à solis nervis, ut nervis; sed quatenus ii spiritu animali repleti sunt, sensus fit & motus; itaque dum nervi nominantur, non excluduntur spiritus, sed continens cum contento intelligitur. A spiritibus autem sensus dependere, prolixè satis præbavit *prænobilissimus & excellentissimus Dn. D. Wedelius, patronus & promotor studiorum meorum nunquam satis colendus, in physiol. sect. 2. c. 6. & sect. 4.* quare lignum in sylvam portare nolo.

(2.) *Motum* quod concernit, sicuti antea diximus, aëri vis inest elastica, & spiritus nostri corporis, cum illi juncti, & æthereæ naturæ sint, perpetuò se expandere conantur, ita, ut etiam contra naturam spirituum sit, ab omni motu cessare. Dum igitur spiritus hic motor se ipsum expandit, & movet, non solum primis diebus latera puncti salientis elevat, sed etiam postea in formatione foetus, item in accretione, seu augmentatione, reliquisque motus speciebus sese satis & ubique manifestat; quando videlicet juxta normam atque ideam sibi adjunctam movendi, formandi, vivificandi & conservandi virtutem in quâlibet re exerit. Quanquam enim primum movens Deus sit, causa tamen aliqua secunda, ac mediata efficiens physica motus in naturalibus merito statuenda erit; talis nempe, quæ à Deo vitâ, agilitate, & potentiâ ita instructa sit, ut se ipsam, aliaque secum movendi potentiam habeat; alias enim omnia, etiam ordinario cursu quæ fiunt, supernaturaliter contingere statuendum foret. Nulla autem aptior datur causa ad perficiendos omnes motus animalium, præter spiritus, in quo Anglus ille ingeniosus *de Stair, physiolog. nov. experiment. explor. 17. §. 13.* nobis adsentit.

Possimus hæc prolixius diducere, nisi jam tum non solum ab authoribus celeberrimis passim, quamvis sparsim demonstratum sit, spiritus, tam naturalis, quam excessivi motus, seu fermentationis in sanguine causas esse, sed etiam ipsi *Aristotelis*, ubi de actionibus humanis agunt, & cur statim, ac species aliqua

13.
aliqua in phantasia concipitur, membra ad opus, illi speciei conforme, perficiendum inclinent, exponunt, ad spiritus recurrere cogantur, & fateantur, statim, ac species aliqua in phantasia concipitur, spiritus naturam suam ferri ad illas partes, per quas natura tale opus, speciei nempe conforme, exsequitur, & hinc illa ad simile inclinatio petenda sit, v. g. ad rei gratam perceptionem oculi & aures statim in armis comparent, qui cogit de Venere, penis sentit erectionem, qui cibos lauros videt, sentit affluxum salivæ ad os, &c. Præterea notum quoque est, spiritus, speciatim animales appellatos, fibrarum motricium beneficio, omnis, in corporis œconomia, localis motus existere auctores primos. Sunt igitur spiritus tum primi tum secundi generis motus causa primaria.

(3). *Caloris* interni causam spiritibus deberi, hoc modo probamus: quod nulla partium reliquarum in toto corpore sit, à quâ ille derivari possit. Cum enim calor efficienter à motu dependeat, & formaliter in velocissimâ corpusculorum minorum, inprimis sulphureorum agitatione consistat, partes autem solidæ propter firmam combinationem, quâ mediante solida constituunt corpora, nec tam velociter moveantur, nec per se possint moveri, hoc est, principium movendi ex se ipsis non habeant, sed ab alio quodam, in horum porulis latitante subtiliori & velociori actuante, nempe spiritibus, moveantur, id quod etiam de contentis partibus intelligendum est; hinc patet, causam caloris in corpore spirituum motum esse, quò moderato, naturaliter se habet calor, accelerato verò præter naturam augetur, ita, ut interdum quasi flagret corpus, debilitato imminuitur, deficiente penitus tollitur. Videmus quoque omnia, quæ in motum rapiunt spiritus, æstuationem gignere, ut sunt febres ardentes, ira, furor, motus corporis vehementior &c.

Cæterum an spiritus revera *luminosi & ignei* sint, nec ne, determinare hinc non ausim, neque ut id affirmem, ulla me cogit rationum necessitas. Analogicè tamen flammam & ignem vocari posse non repugno.

Addimus ultimò in definitione & VII. spiritus *edulcorare*
B 3 *sanguis*

Sanguinem. Notum est ex physiologia medica, in omni sero latitare naturaliter acidum, illudque, modo temperatum fuerit, massæ sanguineæ suam largiri debitam, & ad sanitatem requisitam consistentiam, ad quam conservandam in febribus non solis volatilibus inhærendum, sed interdum acida quoque adhibenda esse, practici prudentissimè volunt: Cum autem acido dominium in corpore occupante crudelior tyrannus vix sit inventu, ideò spiritus alcalicâ suâ virtute illud acidum, ne nimiû augeatur, perpetuò temperant & refrænant, sicq; massam sanguineam quasi edulcorant. Videmus hinc illos, qui nimis motui indulgent, dispositionem acidam corpori suo inducere, quia per hunc, ceu inferius ex pathologiâ patebit, maximum fit dispendium spirituum massæ sanguineæ. Sic quoque animi pathemata, sive illa consistant in *expansivo* spirituum motu, v. g. gaudium, ira &c. sive etiam *concentrativo*, v. g. tristitia, mœror, metus, plurimùm valent ad dyscrasiam humorum, in specie acidam in sanguine producendam, quia correctore acidi, hoc est, spiritu, expulso, vel suppresso, sal sylvestre acidum emergit, quod humores incrassat & deturpat: hinc etiam tales plerumque melancholici evadere solent. Quod Lien tantâ copiâ nervorum abundet, cum tamen nec motum, nec sensum, nisi obtusum habeat, non aliunde factum censeo, quàm ut spiritus per hosce canales largè affluentes, suâ alcalicâ virtute sanguinem multo acido vegetabili, ex assumto cibo, adhuc scattente, attemperent, ne sanguis acidior crassiorque fiat, & melancholicus; neque enim mihi persuadere possum lienem crassum & melancholicum sanguinem segregare, sed puto præcavere saltem, ne crassus fiat.

Ut autem spiritus suum debitum usum præstent, suoque præsent muneri, quantitate debitâ præsentem, subtiles, activi, puri, liberi & sui juris sint, ac motu determinato moveantur, necesse est. Sequitur

III. DIFFERENTIA.

Spiritus animalis & vitalis diversitatem deprehendimus institutâ in demortuis animalibus venæ, & magis arteriæ sectione, ubi sine impetu ac saltu, quæ tamen in vivis manifestò conspicere licet,

cet, sanguis profluit. Unde verò hic in vivis vigor, & in exanimatis languor? certè non aliunde, nisi quia illa vim quandam activam, moventem, atque se expandentem, seu, spiritum vitalem motorem, vi elasticâ præditum, continent, quibus hæc destituuntur: Deinde, nervo ligato vel inciso, aut obstructo e. g. in parte paralytica, sensus & motus tolluntur, vitâ tamen salvâ remanente. Unde colligitur aliud esse, quod sensum & motum corpori, aliud quod vitam impertiat, & per bonam consequentiam, spiritum vitalem & animale non tantum dari, verum etiam diversos esse.

Ut breviter mentem nostram hîc exponamus, dicimus, spiritus nostri corporis, licet diversas actiones edant, diversisque organis gaudeant, non nisi unius esse generis, si substantiam ipsorum intueamur; differre tamen ratione (I) *usûs*, & hinc in arte medicâ dispesci in *vitalem* & *animalem*, quorum ille vitam sartam tectamque servat, & actionum vitalium e. g. chylicationis, pulsus, nutritionis &c. hic verò animalium, sensuum scilicet, & hos insequentium motuum animalium autor existit. (II.) *qualitatis & dispositionis*. Licet enim uterque spiritus, tum vitalis, tum animalis, eandem agnoscat originem & substantiam, attamen ratio nobis dicitur, spiritus animales subtilitate, puritate, & agilitate vitales, utpote de vegetabili acido adhuc participantes, superare, cum longè nobilioribus destinati actionibus, pro animæ rationalis arbitrio & voluntate, quaquaversum ad sensus & animalis motus organa propulsi, & quidem non, ut vitales spiritus, per patentés canales, sed per angustissimos nervorum porulos subito & cum impetu penetrent, & munus suum perficiant, quibus actionibus, nisi majori perfectione, rectificatione & aërisatione gauderent, pares esse non possent. Differunt (III.) *ratione subjecti*; etenim spiritus animales *cerebrum*, vitales autem *cor cum arteriis* pro officina, ubi formantur, agnoscunt, & sicut spiritus vitalis unâ cum sanguine per arterias, ita spiritus animalis per nervos in totum corpus dispensatur. Sed cum brevitati sit litandum, paucula hæc de spirituum physiologia sufficiant. Sequitur

SECTIO

PATHOLOGICA.

Spiritus morbis obnoxios esse, nemo forsan (exceptis iis, quos spirituum nomen offendit) in dubium vocabit, quia omnes corporis partes, unanimi Medicorum consensu, pro subiecto, non tantum sanitatis, verum etiam morborum habentur; Jam verò spiritus quoque in partibus corporis cense-ri, superius demonstratum est; ergò sequitur, eos omninò etiam, ut sanitatis, ita & morborum capaces esse. Cum autem altius rem perlustrans, quam latè hæc tractatio suas extendat fimbrias, prospiciam, breviori viâ incessurus, pathologiam hanc spirituum arctioribus cancellis constringam, & quomodo spiritus in *quantitate, qualitate & motu* peccent, quam brevissimè fieri poterit, recensabo. Stet ergò

I. QUANTITAS.

Spiritus non secus, quam sanguinem, cæterosque humores in continuo, quin etiam majori esse fluxu, discedere omni momento è corpore, etiam cum excrementis, ipsorumque discessum novo accessu compensandum esse, ex physiologicis notum est. Quando ergò eâ copia, quæ ad actiones obeundas necessaria est, *vel non sufficienter generantur, vel, licet generentur, præter modum tamen dissipantur, aut alio modo absumuntur, vires corporis prosternuntur, vel resolvuntur, vel opprimuntur, alii- que plures ex hac læsione spirituum, in quantitate deficiente factâ, morbi oriuntur,*

Non debite & sufficienter generantur (I.) ob *vitium viscerum* chylum & sanguinem conficientium, sive illud intemperiei sit, sive conformationis, aut etiam solutæ unitatis; hisce enim vitiis præsentibus, non potest non spirituum generatio impediri. (II.) Imminuitur quoque spirituum generatio *ex parte materiae*, quando in massa sanguineâ deficiunt particule sulphureæ, salino-volatiles & aëreæ, spiritibus materiam largientes. Accidit harum defectus, vel ob inediam, quando alimenta sive omninò, sive sufficienti copiâ, non assumuntur; aut quando sibi nullius nutrimenti, vel condimentis depravati comeduntur;

duntur; vel quando chylus ob obstructionem vasorum, eum ferentium, cordi non debite affertur, quâ accidit, ut, licet alimenta debita copia assumpta, & in chylum præparata fuerint, hic tamen, viâ negatâ cordi non inferatur, & sic materia sufficiens spiritibus elaborandis desit.

Deficiunt quoque spiritus, quando, etiamsi generati fuerint, nimium tamen absumuntur. Contingit id variis modis, e. g. in mensium ac hæmorrhoidum diuturniori suppressione, item in sanguinis missione diu intermissâ, in iis, qui alias quotannis venam sibi tundi, & cutim scarificari curarunt, natura resolutionem & evacuationem sanguinis, ob stagnationem acidioris & crassioris redditæ, moliens, aliquando *totalem* massæ sanguinæ expulsionem, eamque vel simul ex omnibus, vel ex pluribus saltim locis evacuatoriis, ore, naribus, partibus genitalibus, ano &c. incurrit, sæpeque mortiferam; aliquando verò *partialem*, ita, ut ex hac, illâve parte v. g. per nares, vel per hæmorrhoides, vel menstrua, vel lochia &c. interdum etiam per loca planè inconsueta, e. g. per talum, quale exemplum vid. ap. *Benivenium* vel *Dodonæum obs. 41. p. 142.* item in *Ephem. Germ. An. 1. obs. 96. p. 224.* per apostema in sinistro genu, per vomitum &c. sanguinis, & cum eo spirituum plurimum evacuetur. Possumus huc referre nimiam hæmorrhagiam, ob vulnera, casum &c.

Defectum spirituum inducunt quoque aliæ evacuationes immoderatæ v. g. *sanguinis missiones* ultra naturæ limites, tum *quantitate continuâ*, tum *discreta institutæ*. *Purgantia fortiorum spiritus* absumere, testatur insequens virium debilitas, lassitudo, it. *animi deliquium*, quæ spirituum defectum, quemadmodum *vires integræ* spirituum vitalium debitam copiam arguunt. Apparet hinc, quantum peccent, & jacturam vitæ ac virium ultrò sibi faciant, qui alias benè sani, sani modò in hoc quoq; essent, sine ullo indicante venam sibi secare, idque repetere jubent; item, qui, citra ulla indicationes crebrius fortiora purgantia assumunt, sibi que & aliis persuadent, neque medicum, neque medicamentum debitum suum absolvisse, nisi decies, vigesies & ultra alvus deposuerit. Referri huc debent ultra *εὐφορίας*, ac coactè instituti *sudores*; inde enim

C

nim

nim non possunt non spiritus dissipari, & vires labascere. Ut de *balneis* nihil dicamus, quæ ita spiritus resolvunt, & per poros, eo tempore maximè apertos, dissipant: ut in lipothymiam & syncopen, nisi maturè se subtrahant, haud pauci incidant. Sic quoque ex *fervente Syrii aestu*, spiritus nimium aërisante & evoluticos reddente, maximè si tunc insuper durus, tum animi, tum corporis labor, aut alia vehemens corporis fatigatio, e. g. cursus, saltus, equitatio, digladiatio, conorum pilique lusus adcesserint, præter id, quod languor & virium deprehendatur debilitas, sæpe etiam animi deliquia subito invadunt. *Labores etiam alii vehementes ac duriores*, item *motus corporis omnis nimius*, continuatâ musculorum actione, ingentes spirituum copias in musculos allicitas, infumunt, unde, si non amplius sufficientes, non illos tantum musculos, qui exercentur, sed totam etiam machinam destituunt. Primarium quoque hinc meretur locum, *nimia Venus*, quæ, quantum virium exhauriat, satis experiuntur medici, qui, novos nuptos tabe dorsali laborantes, curant. Plura alia brevitatis amore lubens prætereo.

Consumunt porro spiritus *excretionis vitiosorum humorum nimia*, quatenus utiles simul cum spiritibus evacuantur, ceu e. g. in dysenteria diarrhœa item in nimia evacuatione aquæ hydropicorum per paracenthesin, contingit. Sic morbi chronici, item vigilia nimia & dolores atroces spiritus, & cum spiritibus, vires valdè debilitant, indeque hæc inter symptomata urgentia primum locum occupant.

Deficientibus hunc in modum spiritibus vitalibus necessarium quoque est animales deficere, cum hi ex vitalibus fiant atque generentur; interdum tamen salvis etiam spiritibus vitalibus, tum vitio cerebri, in minori generantur quantitate, tum generati, nimium dissipantur. *Generari* in sufficienti quantitate *nequeunt*, si cerebrum ex nativo, vel ascititio & externo vitio pravam conformationem habeat, a deoq; impar existat spiritibus animalibus legitimâ, & quidem eâ copiâ elaborandis, quæ ad actiones ipsis necessariò requiritur. *Generati dissipantur* e. g. gaudio, irâ, vigiliis continuatis, item meditationibus & curis crebrioribus ac diuturnioribus; quatenus nimirum ita disperguntur & defatigantur, ut denuò se colligere nesciant, unde sæpe
subita-

subitanea mors subsecuta est. Deficiunt quoque spiritus in partibus obnervos, obstructos e. g. in paralyfi.

Symptomata, quæ morbis, è quantitate spirituum peccante natis, accidunt, in *vitalibus* sunt e. g. syncope, lipothymia, lassitudo, & in majori gradu *ἀσφύξια*. In *animalibus* vero accidunt vel abolitio, vel imminutio sensus & motus. Et tantum de quantitate.

II. QUALITAS.

Diximus superius spirituum nutrimentum & pabulum esse *alimenta, sanguinem & aërem*; qualia ergò hæc, tales quoque sunt spiritus. Quando igitur *cor* intemperie calida laborat, particulas sulphureas nimium exaltat, spiritus, vel jam extantes, vel extituros efferat, lympham, eorum frænum dissipat, unde magis liberi, æstu Vesuviano totum corpus accendunt. Sicut enim spiritus vini, quò magis est dephlegmatus, & particula sulphurea exaltata, eò magis etiam inflammabilis existit: ita quoque spiritus calore nimio quasi planè dephlegmati, intemperiem totius corporis calidam & ferventem efficiunt. Si *cor* intemperie frigida, humida, vel compositis laboret, non potest non inde fieri, quin massa sanguinea talibus qualitatibus afficiatur, & ex eâ spiritus, quoad qualitates, intemperati fiant.

Conferunt etiam ad vitiosam spirituum generationem *symbolum suum viscem cum apparantia tum depurantia*. Apparantia quidem, quando ventriculus coctionem non ritè inchoat, nec intestina eandem debito modo perficiunt: Tunc enim fieri nequit, ut bonus, è chylo vitiosè parato, eliciatur sanguis, & materia idonea spiritibus apparetur; depurantia autem, ut hepar, lien & renes id efficiunt, quatenus partes heterogeneas ex massa sanguineâ non legitime secernunt; quapropter sanguine, spirituum generationi dicato, scatente humore tartareo, corrupto, fixo, lento, turpi, illaudabili &c. Spiritus talem facile inducere indolem benè philosophatur *Franciscus Sylvius*. Quæ admodum illo existente nimis mobili, fâsino, nitroso, sulphureo, inflammabili, & hos tales evadere, vi oppositorum, nemo negabit; sanguine enim infecto, spiritus primùm vitales, postmodum verò animales, tanquam genuina illorum proles inficiuntur.

Materia vitio læsio spirituum sæpe quoque accidit; quando nempe alimenta tum minus naturæ convenientia, e. g. calidiora, frigidiora, mucilaginosa, viscosa, acida, aromatica, potus generosior, item aquosior, infrigidans &c. tum incommodè, id est, immodicè, aut illegitimo tempore assumuntur; hinc enim corrumpitur chylus, & sanguini variæ prævaræ inducuntur qualitates, unde nec spiritus boni generari possunt.

Geniti & generandi spiritus vitari quoque solent ab aère pravo; Quemadmodum enim universus aër, quò *περιεχόμενοι*, hoc est, exterius circumscripti vivimus, plurimis, & sæpè vitiosis, contagiosis ac malignis refertus est atomis, ita pro harum diversâ qualitate diversè quoque afficitur spiritus, sanguis, & totum corpus, v. g. in peste, à miasmate maligno, fermentativo & immutativo aëri inhabitante, tum massa sanguinea, tum immediatè inprimis spiritus vitales adeò lethaliter afficiuntur, ut sæpe in momento suffocentur. Est enim intemperies pestis malignissima, quò verò malignior est intemperies, eò magis afficit, rarefacit, vel opprimit spiritus, ceu sæpè laudatus *Dn. D. Wedelius* in lectionibus publicis pathologicis de morbis intemperiei hætenus nos docuit. Nocent quoque narcotica & opiata, spiritus volatiles figentia, quibus fixatis ad munia inepti redduntur. Atque hæc de ipsorum qualitatibus mutatis dicta sunt; restat ut addamus, quomodo peccent.

III. MOTU.

Dictum fuit superius in *physiologia*, contra naturam spirituum esse ab omni motu cessare; Sicuti autem ordine justo, & motu certo suas functiones peragunt; ita tripliciter potissimum eos in motu peccare observamus, nimirum vel *excedente*, vel *deficiente*, vel *depravato*.

In *excessu*, & *simul depravatè* peccant e. g. in deliriis, five cum feбри, ut in phreneticis, five sine illâ, ut in maniacis. Cum enim spiritus vitalis ob particulas sanguinis sulphureas exaltatas, serosas verò incoctas, adeoque jam liberiores redditas, blandè moveri nequeat, non solum impetu suo inferiores corporis

poris partes afficit; verum & inordinato & efferato motu cerebrum per carotides & cervicales arterias irruit, illudque peragratur, spiritus animales ibidem hospitantes eodem modo inficit & efferat. Hinc ægri eo malo affecti, furore maximo vexantur, tumultuantur, vociferantur, oculi præ æstu ardentis apparent, & ob motum ejusmodi nimium difficulter compescendum integros ex ordine dies & noctes vigilando sine defatigatione notabili consumunt, frigus sæpè intensissimum perferre, nudi mediâ ac frigidissima in hyeme, sine perceptione incedere, & jejunia, verbera atque vulnera sine noxa sensibili tolerare possunt. Hæc omnia, ut & cogitationes modò in hæc, modò in illa objecta præcipites, ita inimitabilis eorum velocitas, ut & incredibile robur; quod sæpe vincula cum catenis rumpit, procul dubio, tali nimio motui spirituum & vehementissimo eorum in musculos influxui, ut & crassitie, unde non tam facilè dissipantur in auras, sed intra corpus retinentur, viresque fartas tectasque diu conservant, debentur. Huc quoque reflectit Hippocrates, 2. aph. 6. dicens: Ὁκόσοι πονέοντες τὸ τὸ σῶμα, τὰ πολλὰ τῶν πόνων οὐκ αἰσθάνονται τῆς οἰσῆς ἢ γνώμης νοσῆς. *Quicumque aliqua corporis parte dolentes, ferè dolorem non sentiunt, eis mens aegrotat.* Ratio hujus est, quod spiritus animales impetuose & valdè perturbatè agitati, mentem adeò vehementer jam adhæc, jam ad alia percipienda impellant, ut perceptio dolorum obfuscetur, aut planè tollatur; vel, quod mens ab internis nimium vexata, foris advenientia non attendat; quemadmodum profundis meditationibus dediti, ea, quæ ante oculos sunt & fiunt, non vident, sonos campanarum non audiunt, irati vulnera nec percipiunt, nec dolores sentiunt. &c. Atque hinc certò colligi potest, an quis reverà deliret, nec ne? si enim dolores intensos non sentit, sed perferre potest, reverà delirat; sin minus, pro delirante strictè tali habendus non erit.

In defectu autem peccat spirituum motus e. g. in imbecillitate virium, & corporis infirmitate, ut in senibus & convalescentibus, hebetudine ingenii, item si propter pravam cerebri ab internâ, vel externâ causa ortam dispositionem, ce-



rebrī poruli & meatus indispositi sunt ad legitimam spirituum generationem & dispensationem. Sic etiam in melancholiā, quæ est delirium absque febre, cum metu & tristitia, defectus aliqualis adest spirituum. Oritur enim, quando spiritus, aliàs per naturam purissimi, subtilissimi, mobiles & ætherei, ab ærea sua, & sese facile expandente, volatilique naturā degenerant in terream quasi, crassam, fixam & difficulter mobilem; à puritate, in impuros & deturpatos fuligines, à blanditiæ & dulcedine in acorem & vappescientiam. Majori gradu hæc quasi immobilitas spirituum apparet in caro, ubi obdormiunt quasi spiritus; it. in catalepsi, ubi spiritus ita figuntur, & congelantur quasi subito, ut, in quo ægrum statu deprehenderit, vigilantem, sedentem, stantem, bibentem, scribentem, legentem &c. in eo immotum teneant, sensibus quidem integris, verum ad ea, quæ extra sunt, percipienda, inidoneis. In causam hujus motus deficientis inquirentes, forsitan à veritate haud aberrabimus, si statuamus, subitanam consternationem, & stupefactionem spirituum ab intrinsecā quādam causa proficisci; nimirum ab acido quodam figente spiritus, eosque concentrante, præsertim si æger temperamento gaudeat melancholico, vel hypochondria acidum spirent, & occasionem fixationi spirituum majorem præbeant. Quod quidem facilius contingit, si idea quædam tristior menti offeratur subito, eidemque nimium inprimatur. Si enim haud rarò contingit, ut externa quædam, in quæ inopinatò incidimus, vel quæ eveniunt improvisa attonitos atque obstupefactos nos reddant, quantò magis interna id præstare poterunt?

Depravatè denique moventur, quando furibundi, & impetuosè nimium agitantur. Vt enim spiritus, in primis animales, in naturali suo statu, certo suo & justo gaudent motu, atque huc vel illuc, pro animæ rationalis directione emissi, ad instar Solis vel Lunæ radiorum, lineā quasi rectā, cum suavi impetu ferri solent: sic rectitudine hæc oblata, quando æqualiter non influunt, sed rotantur quasi, & nutant, non procul vertigo abest. Culpa hujus est vel interna vel externa. Interna debetur humoribus pravis vaporosis, flatulencis & elasticis,

lacticis, qui cum sanguine ad cerebrum delati, turbulenti sunt motum ipsi imprimunt, spiritus animales in nervos influxuros, eosque irradiaturos, extra ordinem abripiunt, inque vortices, gyrosque inconcinnos agunt, non aliter ferè ac flamma à ventorum flatu hinc inde dissipari, & radii solis à fumo turbari solent. Externè ad depravationem motus spirituum faciunt omnia violenta e. g. capitis vulnera, percussiones, contusiones, casus ab alto; it. circumgyrationes, intuitus rerum se rotantium, attentus; prospectus itidem attentus rerum valdè remotarum, vel sublimium, vel profundarum. Spiritus siquidem nostros ita dispositos esse, ut levi occasione in motus, omninò similes motibus extra corpus contingentibus, citari possint, oscitationes, tusses, affectus animi, aliaque nos docere possunt. vid. *Ephem. Germ. decur. 2. an. 3. obs. 96. p. 203.* Luci quoque & coloribus imperium aliquod esse in spiritus nostros, præter sternutationem, ex aspectu flammæ candelæ titubantis, item radiorum solis experientia quotidiana satis testatur.

Coronidis loco verbum saltim de morbis, qui ab imaginatione fortiori evenire solent, annectemus. Est imaginatio causa variorum morborum, præsertim in dispositis, sed ad eò sublimis, ut ejus effectus, præsertim quos in gravidis efficit, nec satis admirari, nec pro dignitate, rei que exigentia investigare possimus. Siquidem non potis solummodò est partes certas p n in foetu formare, sed & naturales in ipso partes delere. Solet autem imaginatio operari per ideas fortius spiritibus impressas, (nisi enim cum vehementia fiat, hæc impressio, effectus non sequetur,) qui deinde unâ cum sanguine foetui molliori appulsi, varias figuras, pro vario & peregrino ab imaginatione excitato motu, affricant.

SECTIO III.

THERAPEUTICA.

Quemadmodum ex superioribus sectionibus palam est: spiritus ratione *quantitatis, qualitatis ac motus* moderatè sese habentes, sanitatis potioem; immoderatè



deratè autem se gerentes plurimorum morborum causam
existere; ita nunc eadem, quâ incæpimus methodo, perge-
mus, &, quomodo spiritus præternaturaliter constituti curandi,
seu ad pristinum naturalem statum reducendi sint, breviter vi-
debimus. Occurrit autem primo loco.

I. *QUANTITAS.*

Peccare hîc res præter naturam solent, in *quantitate* vel *ex-*
cessiva, vel *deficiente*. In medio enim consistit virtus & sanitas.

An verò spiritus *excessiva* quantitate peccare queant, vix
concupere mihi licet, nisi forsan ob lautiores dapes, & saniora
viscera, bonamque hinc & largiorem nutritionem plethoram
puram, gonorrhæam, pollutionem nocturnam, nimiam,
propensionem in venereos actus &c. causantes, id contingat;
quapropter peculiare quid hæc abundantia spirituum non indi-
cabit, nisi forsan ex chirurgico fonte sanguinis missiones, ex
diætetico, tenuem victum, inedia & labores corporis.

Defectus spirituum frequentior occurrit, estque pro diver-
sitate causarum variarum, ex supra dictis patularum, diversi-
modè curandus. Inprimis verò spirituum copiam generare &
restaurare solet alimentorum, spiritu volatili abundantium
usus legitimus, ac eorundem tum fermentatio in ventriculo, tum
secretio in intestinis, tum effervescentia in corde, tum depu-
ratio in reliquis visceribus, tum & inprimis partis spirituosæ
separatio in cerebro & cerebello, reliquorumque humorum
productiones integræ.

Profunt ergò ante omnia, nisi ob viscera debilia malum or-
tum, viresque non tam deficient, quàm suppressæ sint, *σίτια*
ταχύτεστα, τεέφοντα ἀθρόως καὶ ταχέως, εὐχόμενα καὶ ὑπερτε,
alimenta confertim & celeriter nutrientia, totâ sua substantia in a-
limentum transeuntia, &, quæ simul & semel omnibus suis partibus
vinci queunt. Etenim, quia, ceu in *physiologia* diximus, spiri-
tus ex subtilissima & volatilissima alimentorum & sanguinis par-
te generantur, quò melius & spirituosius alimentum est, eò
quoque largior, melior & citior sequitur spirituum restauratio;
inprimis ubi aëris salubritas accedit, quæ plurimum confert.

Laudem inter alia plurima, de quibus consulantur pra-
ctici,

ctici,

Etici, hinc merentur ova recentia, adhuc, si haberi possint, ab utero gallinae calentia, vel ignem admodum parum experta, exsorbta, quibus, si superbibatur haustus vini malvatici, vix quidquam praestantius dabitur. Item, lac recenter mulctum, & ab uberibus adhuc calidum, cum saccharo bibitum, vel, quod melius est, ex nutricum sanarum mammis exsuctum. Profunt quoque carnes caponum, pullorum gallinarum nostratium & Indarum columbarum; carnes juniorum animalium: item perdices, alaudae, turdi & similes aves, aliaeque plures dapes, quae substantiam partium roridam, particulasque blandas roscidas, morbis, laboribus, vel alio quovis modo absumtas, novis particulis nutritilibus facile restituunt, & quod deperditum, cito ac feliciter restaurant. Pauperibus, qui dapibus non affueti, nec etiam iis solvendis sunt, meliora saltem fercula proponantur; exulet ad tempus cofentum, bibatur cerevisia, & ubi haberi potest, interdum unum, vel alterum vitrum vini, it. *v*. Etenim ad spirituum citam generationem optimè profunt *porus* spirituosi, cerevisia hordeacea benè cocta, clara, dulcis, vinum bonum Rhenanum, malvaticum, Hispanicum, Petri Simeonis, Hippocraticum, aut aliud simile. Sed quia nihil quidquam, quod naturae modum excedit, bonum, *ex aph. 4. s. 2.* moderatè his omnibus utendum est.

Ad cibos referimus quoque *condimenta*, quibus nempe ciborum partes viscidae, glutinosae, crassae, flatulentae inciduntur, attenuantur, corriguntur, ventriculus quoque flaccidus roboratur, & vires vitales reparantur, qualia sunt aromata, & aromaticam virtute pollentia, e g Cinam. nux moschata, maces, zingiber, cardamom. cubeb. item herbae aromaticae, ut rosmar. majoran. salvia, thymus; radices quoque & semina, quibus cibi meliorari & condiri solent, quae omnia tum spiritus, tum viscera egregiè confortant. Cavendum tamen hinc sedulo est, *ne quid nimis*. Cum enim frequenti condimentorum acrium & acidorum additione ita mutetur & reddatur cibus medicamentosus, ut, cum chylus nutritius natura lente-sens, & glutinosus requiratur, is hac ratione incidatur, at-

D tenue-



tenuetur & resolvatur nimium, simulque alios laudabiles in corpore repertos humores attenuet, resolvat, & diureticam quasi adeptus naturam, citò transeat, simulque secum bonum abripiat, alias noxas, brevitatis amore, ut hîc præteream, in condimentorum usu medium tenentes sani.

Ubi verò spiritus deficiunt propter ἀτονίαν καὶ κακοποίησιν viscerum alimenta preparantium & depurantium, haut melius malo obvenire possumus, quàm roborantibus & digestiones restaurantibus. Inprimis verò respiciendus est ventriculus.

Ut curam in compendio proponamus, (I.) fugiendi sunt cibi δύσχυμοι, δύσπεπτοι, καὶ δυσώδεις, mali succi, difficilis coctionis, & mali odoris; τὸ πλεονεκτήσιμον τῶν ἐπεσμάτων καὶ πομάτων, quantitas esulentorum & potulentorum immodica, & ἀκαίρη παστis, utpote quæ coctiones valdè turbat & vitiat, de quo vid. Galen. 3. de sympt. caus. c. 1. (II.) intemperies alteranda sunt ad contrarium, alterantibus, &, (III.) si à substantiâ foveantur, evacuantibus. (IV.) Conformationis morbi, quantum possibile, auferendi, (V.) error externus, inprimis verò aëris emendandus. (VI.) Adhibeantur moderatè calefacientia & viscera roborantia, tum interna, tum externa.

Interna sunt nota, e. g. aromata, habent enim teste Dioscoride lib. 2. c. 148: δύναμιν θερματικὴν, πεπτικὴν, vim calefacientem, & coctionem juvantem, quapropter piper, zingib. galanga, præstant calefaciendi virtute; præferendaque sunt masticata leviter, vel piperis grana integra deglutita, pulverificata. zingiber Chinens. conditum, mostarda Italicorum, essentia ambrae, spiritus stomachales, elix. vitæ Matthioli, aqua & spiritus cinam. ceras. nigr. lil. convall. zedoar. calam. aromat. aq. apoplect. magnanim. vel spiritus vini cum aromatibus & aromaticis destillatus, tracheæ stomachales e. g. ex rad. ari Birckm. & pulveres peptici appellati. Huc referuntur quoque spiritus Oli philosoph. elix. propr. acidum & alkalicum, pro diversâ indicatione, elix. stomach. Myrs. ex aromatibus, & plura alia.

Externa magnum usum habent, si debito loco, e. g. capiti,

piti, nuchæ, vertici, regioni stomachi, imponantur; talia sunt balsama & linimenta ex nuc. mosch. oleo macis, absinth. caryoph. cumin. junip. menth. mastich. succin. Inunctiones quoque ex solis oleis & spiritibus aromaticis chymicis; item emplastra, scuta stomachica, & sacculi, tam sicci, quam humectati, v. g. ex fol. menth. absinth. calaminth. organ. rosmar. cumin. acoro, in vino cocti austero, & calidè applicati; vel ex solis quibusdam aromaticis contusis, lineus vel sericus faccus interpassatus, guttis aliquot e g. VII. X. \odot ei menth. citri, aurant. cumin. cinam. irroratus conficiatur & imponatur. Vestimenta, & imprimis ventriculi regionem cingentia optimè profunt; commendantur à quibusdam ea, quæ ex pelle cygni, pennis instructa, aut cati sylvestris conficiuntur.

Ut præterea spiritus aut integri, aut de novo restaurati conserventur, vitentur omnia ea, quæ spiritus dissipare, ligare, digestiones turbare, & vires prosternere possunt, qualia sunt præter aëris pravas qualitates, nimia curæ, meditationes, labores, nimius usus Veneris, pocula sanitatis, quæ veteres *μεταπίεσις* vocabant opiata, & hujus fortis plura.

Spirituum alimenta Platonis ad seclæ ponunt odorem, cantum & lumen; quanquam verò hæc improprie nutrire dicantur, & saltim reficiant, in motum rectum cieant, demulceant, illustrent & excitent spiritus; magnam tamen vim iis inesse, & modo dictis auxiliis juncta egregie officio suo fungi, certissimum est.

Quomodo spiritibus ob morbos & symptomata urgentia deficientibus succurrendum sit, nostrum hîc non est agere. Consulenda de his est praxis specialis.

II. QUALITAS.

Quomodo vitiosa spirituum qualitas corrigi queat, facile ex physiologiâ supra tradita patere potest. Nempe cum pro diversitate alimentorum, sanguinis, viscerum chylum & sanguinem generantium & depurantium, rerumque sex non naturalium usu legitimo vel illegitimo, spirituum quoque qualitates valdè varient, omnia hîc à medico præcipienda, suadenda &

ord'nanda erunt, quæ aliàs ad alterationem & correctionem intemperiei viscerum, & pravitatis humorum præscribi, ac pro ægri constitutione, diversaque indicatione, & rerum statu prodesse solent. Prolixius de his agere, & quomodo lenientia, purgantia, clysteres, emetica, diaphoretica, diuretica non negligenda, aliaque profint, hîc exponere possemus; sed remittimus B. L. ad practicos, qui de humorum vitiis & viscerum dyscrasiis corrigendis seorsim plura luci exposuerunt. Nolumus enim præter necessitatem, proluxiores esse. Ultimò se sistit spirituum præternaturalis

III. MOTVS.

Motus spirituum tribus modis læsus deprehenditur, vel *augetur*, vel *deficit*, vel *depravatur*.

Si *augetur*, tollenda sunt & fugienda omnia, quæ hujus causæ sunt. v. g. animi affectus, & alimenta, quæ spiritus calidos, efferatos, & nimis elasticos reddere in *sect. pathologicâ* diximus. Temperandæ quoque sunt dyscrasiæ viscerum, imprimis ventriculi, cordis & capitis calidæ, acrimonia humorum infringenda; sanguinis ebullitio sedanda; ejus fervor sanguinis missionibus refrigerandus, & alia, quæ spiritus compescere possunt, adhibenda.

Satisfaciunt hisce indicationibus præter ea, quæ cujuslibet partis statui præternaturali corrigendo dicata sunt, & ad praxin specialem spectant, (de quibus nostrum hîc non est agere,) omnia, orgasmum, seu impetuosiores & exorbitantem sanguinis, ac reliquorum humorum motum, tum intestinum, tum progressivum compescencia; inter quæ *precipiantia* dicta remedia, fermenta morbosa absorbendo, figendo, alterando, per sudores excludendo, & humorum turgescentias compescendo reliquis ferè palmam præripiunt; his adjungunt paregorica, & imprimis opiata, quæ sanguinis ebullitionem, vel potius spiritus, sanguinis, & totius machine motores nimium ferocientes, potentissimè sistunt; Hæc enim spirituum impetum motivum sufflamant, quo suppresso, atque sic eorum influxu ad partes fibrosas impedito, humores

res

res non adeò vegetè & impetuosè, sed sedatè magis moveri, & propelli faciunt; adeoque locali, seu progressivo sanguinis motu hac ratione imminuto, non potest non intestinus quoque ipsius motus aliquantulum moderari. Verum nolo hìc proluxior esse, cum praelaudati *D. Wedelii opiolog.* abundè curioso satisfaciat.

Si motus spirituum *deficiat* e. g. in animi deliquiis, syncope, apoplexia, excitandus est volatilibus, aromaticis & spirituosus, internè & externè adhibitis. Profunt hìc $\sim \ominus \text{Xci}$ perse vel aromaticus, aq. apoplect. spirit. C. C. fuliginis, \ominus C. C. eboris, & id genus alia. Si ab obstructione vasorum v. g. nervorum, motus in parte deficiat, non tantum totum genus nervosum roborandum, sed etiam parti affectæ applicanda sunt calida, nevina, profunt frictiones; aliaque plura, ad obstructions tale aperiendas, apud auctores passim descripta.

Propero ad spirituum motum *depravatum* & inordinatum, qui variè contingit. e. g. in *agrypnia*, ubi *nimius* & *continuus idarum in organa sensuum influxus*, spiritus nimium concitat, & in inordinatas agitationes & motus compellit, removenda sunt ocios ferientia, & spiritus ad blandum motum reducendi humectantibus, & narcosis inducentibus, v. g. lactucâ, nymphæa, hyoscim. papav. fl. verbasc. sem. stramon. ex quibus tum externa, tum interna remedia concinnari possunt. Quando porro *spiritus annales in sensuum organa inordinato motu* feruntur, & e. g. *vertiginitur*, ante omnia ratio est habenda ventriculi, uteri aliorumque viscerum, ex quibus forsan malum ortum traxit; hinc spiritus roborandi, & impetuosior motus sistendus est; cumque vertigo ut plurimum prodromus sit vel epilepsiæ, vel apoplexiæ, ideo antepileptica & nevina cum cephalicis aliis nisi egregium usum præstant. Si propter *spirituum inordinatum motum*, vel *motus convulsivi*, vel *convulsio* & *epilepsia* oriuntur, differt quidem cura pro varietate adjunctarum causarum nterim tamen præmissis universalibus, præscribenda ea, quæ irritus ferocientes compescunt, & motus inordinatos tollunt inter quæ, præter alia innumera à Practicis ubique commerata, *opiata* levi saltim dosi cum *nervinis* & *antispasmodicis*

mista, egregiam navant operam, Quando ob *spirituum in ce-
rebro motum inordinatum & depravatum*, sensus interni turban-
tur, ac diversa phantasmata, & hinc deliria fiunt, tunc pro di-
versitate causæ, cura quoque diversa instituenda est; de quo-
rum & omnium hætenus nominatorum morborum & sym-
ptomatum cura praxis specialis consulenda est.

Atq; hæc sunt, quæ pro ratione instituti, temporis, & ingenii
modulo de ardua hæc materiâ proponere animum indixi. Fa-
cile à prudentioribus omnibus veniam commissorum aut omis-
sorum mihi polliceor, qui rei amplitudinem & difficultatem
pensi habuerint. DEVS faxit, ut omnia cedant in su-
sanctissimi nominis

Honorem, Laudem & Gloriam,



Xere sic porrò genii
solertis acumen,

WAL THERE, & patriæ glo-
ria perpes eris.

ita CLmo Dno CANDI.

gratulab. adclama

PRÆSIS.

Quæ



36
Uæ Tubinga Tuæ dedit
incluta femina menti,
germina Salano læta tu-
lere solo.

Nec minus in flores sensim porre-
cta feraces
eximiâ fructus fertilitate fe-
runt.

Hos plausu excipimus grato, Deus
hosce secundet
ex alto, atque omni prosperi-
tate beet.

Ita

Gratulante affectu Honoribus Cl.

Dn. Doctorandi applaudit

Georg. VVolffgangus VVedelius.



Orbos spirituum curat
VV ALTHERUS, *ut inde*
spiritus ipsius notus ubiq;
set.

spiri-

GA
Ta
844

32.
spiritui tanto faueat clementia
caeli, &
spiranti ad summos prospera
quæque ferat.

Nob. CLmoq; Dn. Doctorando
Honores novos medicos fe-
licissimos auguratur

Augustinus Henr. Faschius,
D. P. P.



nc

W 17



Q. K. 357, 6.

ARCHIA
JVSSV E
STRIS AC G
PIADEI

RVD O

Philos. ac
chim. P. P. c
S. R. I.
DN. PRÆCE

DISPVT

MOR

PR
Summos in art
etoralia,

GEORG



(1275)
NTE!
ILL
S ASCLE
QVOD
ELMI
prax. &
Senioris, &
narii,
PATRONI
ALEM,
VVVM
IA
privilegia Do-
gitimo
LTHER,
BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

